

actus mentis interiores repraesentent, ad occultum quid ei manifestandum. Vid. Bechm. l. c. it. M. G. VVagnerus Disp. de Locut. Angelica. Haec, praecipue apud recentiores, receptissima sententia est. Verum enim uero nec satis illa explicari, nec probari, potest. Certe, quomodo Spiritus finitus alteri aliquid hoc modo imprimere possit, non uideo. Quis hanc diabolo potestatem in bonos Angelos, aut etiam in DEVM, concederet, ut species illis imprimeret, cum DEO ne quidem boni possint imprimere? Deinde uidetur ita confundi suggestio cum Locutione. Porro multa incommoda inde resultant. Sequitur hoc modo, (1) Locutionem non in loquente, sed in audiente, fieri, quod contra omnem naturam, et indolem, cuiuscumque Loquelae est. (2) Aut DEO imprimi species, quod non modo *ἀθεολογον*, sed etiam maxime *φιλοσοφον* est, aut alia Loquela Conioco ad DEVM, alia ad se inuicem, loqui, quod absque rationibus saltem probabilibus non est statuendum. (3) auditionem aut esse coactam, et prorsus ineuitabilem, cum, altero Angelo loquente, alter non possit non impressionem specierum admittere; aut Locutionem dependere a uoluntate audientis, sic ut Angelus loqui non possit, si alter audire nolit. Cum tamen Locutioni accidere possit, ut non sit, qui auscultet, aut qui, sibi rem imprimi, patiarur, quod toto die fieri experimur. Si ergo Locutio in impressione consistit, Spiritus non locutus est, licet omnia, quae ad Locutionem spectant, praestiterit, si audiens rem percipere, aut sibi imprimere, non potuit. Quod etiam spiritibus, licet non bonis, et sanctis, tamen malis, perinde ut hominibus, contingit. Non enim negari potest, diabolis aliquando bonos Angelos talia loqui, quae ob tenebras mentis non intelligant. Quis autem ideo negaret, Angelos locutos fuisse, quia non intellecti fuerunt, etc. Has ob causas etiam B. M. VValth. Philosophus, et Theologus, insignis, hanc opinionem reiecit, et statuit, Angelos loqui *per liberam secreti ad alium ordinationem, et directionem*, quem quidem modum Fr. Bechm. c. l. et item alii, sed in aliis Auctoribus, taxant. Sed ibi aliquid additum est, quod B. VValth. non habet, nimirum uerba: *per uoluntatem*. forsitan beatus uir de industria haec omisit. Et tunc opinio eius generalis fo-

lis fo-